DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
CHLOROSI

QUAM

GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE

AUCTORITATE ET CONSENSU

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI

SUBMITTIT

AUCTOR

GUILIELMUS BADOWITZ

ZÜLTZENSIS SILESIUS

MEDICINAE ET ARTIS OBSTETRICIAE DOCTOR

PROMOTUS ANNO MDCCCXIII

AB

JOANNE CHRISTIANO REIL

REGI BORUSS. A CONSIL. RER. METALL. SUPREM., MED. CHIR. ET PHILOSOPH. DOCTORE, THERAPIAE PROFESSORE PUBL. ORD., INSTITUTI CLINIC. DIRECTORE, FACULTATIS MEDICAE T. T. DECANO, ORDINIS AQUILAE RUBRAE EQUITE, SOC. REG. SCIENT. HAFNIENSIS, ACAD. SCIENT. REG. BOICAE, SOCIET. PHYSICO-MEDICAE MOSQUENS., MED.-CHIR. BERNENS., MED. VENETAE, SCHOL. MED. PARISIENS., FACULT. MED. CHIRURGIC. LUCENSIS, ACADEM. IMPER. NATUR. CURIOS., SOCIET. SCIENT. ET ARTIUM QUAE MOGUNTIAE FLORET, SOCIET. MED. HELVET. CORRESPOND., SOCIET. PHYSICO-MEDICAE ERLANGENSIS ET WETTERAVIENSIS., NEC NON SOCIET. REI RUSTIC. PRACT. DUCAT. MAGDEB. PRINCIP. ANHALT ET COMITAT. MANSFELD. SODALI;

BEROLINI,

TYPIS JOANNIS FRIDERICI STARCKII.

VIRO PERILLUSTRI,

AMPLISSIMO, EXPERIENTISSIMO,

DOCTISSIMO,

CHR. GUIL. HUFELAND,

MED. DOCTORI ET PROFESSORI PUBL. ORD.
INSTITUTI POLICLINICI UNIVERSITATIS DIRECTORI, POTENTISSIMI BORUSSORUM REGIS CONSILIARIO STATUS, ARCHIATRO, ORDINIS AQUILAE RUBRAE EQUITI, NOSODOCHII CHARITATIS MEDICO PRIMARIO, ACADEMIAE REGIAE SCIENTIARUM BEROLINENSIS, SOCIETATIS MEDICAE PARIS. PETROPOLIT. MOSCOV. VENET. BRUXELL. HELVETIC. ALIARUMQUE SODALI;

NEC NON

VIRO PERILLUSTRI,

AMPLISSIMO, EXPERIENTISSIMO,

DOCTISSIMO,

CAROLO FERD. GRAEFE,

MEDICIN. ET CHIRURG. DOCTORE, PROFESSORE CHIRURG. IN UNIVERSITATE LITT. BEROLINENS. PUBLIC. ORDINARIO, REGI BORUSS. A CONSILIIS INTIMIS, ORDINIS CRUCIS FERREAE EQUITE, LEGIONIS HONOR. DECURIONE, ORDINIS RUSSICI ST. ANNAE IN CLASSE SECUNDA, SUECICI WASANI, RUSSICI ST. WLADIMIRI IN CLASSE QUARTA EQUITE, INSTITUTI REG. CHIRURGICO-CLINICI DIRECTORE, PROFESS. ORDINAR. IN REGIA ACADEMIA MILITARI MEDICO-CHIRURGICA, REG. SOCIETATIS FACULTATIS MEDICAE PARISINAE SODALI PER EPISTOLAS ORDINARIO, SOCIETATIS REG. SCIENTIARUM GOETINGENSIS, SOCIETATIS PHYSICO-MEDICAE ERLANGENSIS, SOCIETATIS NATUR. SCRUTATORUM HALENSIS, ALIARUMQUE SODALI, FACULTATIS MED. H. T. DECANO.

PRAECEPTORIBUS

SUMME COLENDIS

HASCE

STUDIORUM ACADEMICORUM

PRIMITIAS

VENERATIONIS CAUSA

D. D. D.

AUCTOR.

De Chlorosi.

§. 1.

Si morborum quotquot genus muliebre invadunt, agmen, circumspexerimus, peculiari quadam eos esse indole atque natura, vel saltem quoad formam et decursum corporis feminei diathesi mutatos optime perspiciemus.

§. 2.

Pathematibus autem sexus feminei proprii aliquid inesse debere, ex his elucet:

a. corporis compages minus cohaerens, singulae eiusdem partes laxiores, teneriores et molliores, sanguis omnesque humores fluidiores, perfectione virili destituti, albuminis atque gelatinae animalis copia minore instructi, minoremque ac corpus virile oxydationem subire videntur.

b. corpus femineum, si tanquam organismus vivus consideratur, propriam quandam debilitatem

sortitum est, vi vitali nimis leviter agente, et astheniae directae et indirectae magis ac virile obnoxium; illi, quia tot potentiae nocentes (inter quas et fluxum menstruum referre haud absurdum est); huic quia incitamenta nimis crebra ac diuturna v. g. graviditas etc. imperium suum in organismum muliebrem exserunt.

c. Feminis natura et congregationis hominum leges proprium vitae genus assignaverunt, v. g. vitam sedentariam, ad animi perturbationes proclivitatem. Cerebrum femineum et systema nervosum teneriore etiam structura est.

d. Denique peculiaribus orgnis, quae suis quaeque subiecta sunt morbis, et reliquis organis intime consentiunt, feminarum corpus instructum est, ideoque affectibus sympathicis aptum.

§. 3.

Omnes corporis virilis functiones, organorum adeo sexualium ad vitae conservationem tendunt, actionibus quibusque inter se concinentibus. In femina autem, simul ac aetatem infantilem egressa est, singulis organis aliam rationem intercedere videmus: systema enim uterinum prae ceteris vigere incipit, vasa eius multo maiorem sanguinis copiam vehunt, cuius partem aliquam typo quodam fixo excernant, quod pubertatis atque pariendi facultatis signum est.

§. 4.

Evolutio singulorum organorum et functionum ordinem quendam, prima formatione adumbratum, sequitur, qui adversis quidem rebus fortasse turbari, sed non plane potest dissolvi. Nullius autem functionis vitium insequente functione compensari potest. Nimirum, si evolutiones serie priores causa aliqua sive externa sive interna impediantur, quominus perfectae evadant, reliquae quidem eandem seriem tenentes (aliquanto tamen serius) prodibunt, sed energia debita destitutae. Utrasque evolutionum corporis normae haud respondere reperiemus.

Quodsi, progrediente aetate, secundum ordinem prima formatione designatum, systematis genitalis evolutio imminet, antequam organa vitae tuendae inservientia perfectionem et vigorem nacta essent, functionis eiusdem anomalia nascitur, quae systema nervorum afficiens, variis eorum morbis, deprehenditur, vel systema reproductionis invadens pertinacissimos huiusce morbos parit, inter quos chlorosis subinde occurrit; de qua mihi in hoc libello propositum est disserere.

§. 5.

Antiquissimi Graeciae medici morbum hunc iam novisse videntur. Verum Hippocrates [1])

[1]) In libro de morbis virginum.

sed obiter tantum, Galenus [1]) aliique [2]) mentionem eius fecerunt, morbum hunc catameniorum suppressorum vel retentorum symptoma ducentes, quod peculiari nomine insignire dedignati sunt.

Falso itaque Hippocrates Chlorosin nominasse morbum illum creditur, cum vocabulum hoc in scriptis eius nusquam occurrat, nec nisi ex annorum ducentorum spatio medici Chlorosin morbum sui generis habere incepissent.

§. 6.

Chloroseos denominatio a *χλωρίζειν* i. e. viridescere, ob lividum faciei colorem, in hoc morbo obvium recentioribus temporibus originem debet. Alii virgineum hunc morbum nominavere, quia plerumque virgines ante primam sanguinis menstrualis excretionem invadit; alii febrem pallidam seu albam ob pulsus frequentiam, quae ad arteriarum vibrationes in febre lenta prope quandoque accedit; alii febrem amatoriam (Sauvages), quia puellas, cum primum amoris sensum percipiant, corripit.

1) De causa symptomatum Lib. I. cap. 7.

2) Paulus Aegineta de re medica Lib. I. cap. 1. Aetius Contract. medicin. Tetr. III. Serm. 1. cap. 23. Tetr. IV. Serm. 4. cap. 10.

§. 7.

Descriptio morbi.

Morbus autem, de quo agimus, his symptomatibus se prodit: organorum sexualium evolutio non absoluta est, functionibus suis obeundis vel plane imparia sunt, vel non rite eas perficiunt; aegrotae alimentorum consuetorum desiderio carent, quae potius fere abhorrent; anorexiam sequitur dyspepsia, materias a cibis humanis alienissimas, ut cretam, calcem, cineres, carbones etc. devorandi appetitus (pica, malacia).

Digestio magis magisque languet, accedentibus gastrodynia, cardialgia, rugitu et diarrhoea. Quaedam subinde dolores, tensionem et distractionem in abdomine ad hypogastrium, renes et regionem inguinalem migrantes, persentiunt. Excretiones alvi et urinae tardae et irregulares. Mox et functiones vitales turbantur, dyspnoea oritur, quae ad oppressionem usque accrescit; motus cordis concitatior et violentus fit, ita ut vel minima corporis agitatione, praesertim quando scalas ascendit aegrota gradumve accelerat, palpitatio cardis nascatur. Calor animalis minuitur; pulsus tardus, interdum vero celerrimus quoque, vibrationes centum et triginta sexagesima horae parte conficiens, nunquam autem non parvus, debilis et facile comprimendus. Tota cutis valde

pallida cereoque colore est, sanguis e vena missus mucosus, minus rubicundus; corpus ubique tumidum pinguedinis atque obesitatis speciem prae se fert; musculis autem et corio flaccidis, torpidis, et in ulteriore morbi decursu, imprimis ad pedes, sero vitiose effuso oedematosis. Fluxus menstruus plerumque deest, vel sanguis excretus colore est livido, magnisque doloribus parce provenit, vel haemorrhagiae e remotis partibus, ut e pulmonibus, ventriculo, naribus, ore apparent. Sed non quaevis chlorosis cum catameniorum defectu coniuncta est [1]); at fluor albus raro deest.

Et functiones animales a norma aberrant: animus usque tristis atque deiectus est; aegrotae societatem hominum fugiunt, in solitudinem discedunt, de inertia et lassitudine conqueruntur, ad quodvis opus peragendum segnes ac tardae; in somnum pronissimae, a quo aegre avocantur; gradibus lentis incedunt.

Mirari autem licet, non solum animo firmo pigritiam istam superari, sed etiam validas et continuas musculorum actiones innocuas, immo vel salutares reddi posse. Puella quaedam chlorotica quovis licet levi motu magnum experta est languorem cordisque palpitationem, saltum tamen, cuius erat amantissima, plures horas nullo

1) Hufeland's Journal B. XX. St. 1. p. 9.

dispendio, quin etiam in tempus aliquod recreata, pertulit [1]).

Si morbus invalescit, vespero oedema pedum apparet, noctu vero evanescit. Mane palpebrae colore tinguntur coeruleo; facies tumida est, pallida, livida, flava.

Tandem febris accedit nervosa, exanthemata chronica pertinacissima, humoris aquosi collectiones primo in tela cellulosa, postea in cavitatibus internis, affectiones pectoris chronicae, phthisis pituitosa et ulcerosa. Mors scenam claudit.

§. 8.

Sectio cadaveris.

In cadaveribus hoc morbo exstinctarum magna sanguinis inopia, pulmones pure corrupti, seri stagnationes in variis cavitatibus, et si durante vita palpitationibus cordis aegrotae vexabantur, cor pergrande, sanguine tumidum, vel etiam valvulae eius ossificatae; uterus et ovaria saepe non satis efformata et fere infantili adhuc structura, nunc deformia, tumore distenta, nunc, praesertim ovaria, marcida, corrugata; vaginae atresia, reperta sunt.

1) Fleisch u. Schneider über Krankheiten des mannbaren Alters p. 222.

§. 9.

D i v i s i o.

Distinguuntur autem duo chloroseos genera:

I. Chlorosis primaria, quae non nisi puellis accedit.

II. Secundaria, quae morborum quorundam chronicorum symptoma se manifestat.

Primi generis species existunt duae:

a. Chlorosis febrilis, in qua irritabilitas valde aucta est. Nonnunquam enim puellis robustis valetudine optima evenit, ut menstrua, quae a pubertate inde legitime provenerant, subito supprimantur, chlorosique ipsae corripiantur. In tali casu morbus iste cum febre coniungitur; facies nunc pallescit, nunc rubescit; aegrotae anxietate excruciantur, congestiones sanguinis crebriores, vertiginem, capitis dolorem, palpitationem cordis, calorem patiuntur, quae omnia identidem augentur. Pulsus celer, durus et plenus est. Idem morbus et chlorosis calida vocatnr, sive febris densa, alba (Gesnero).

b. Chlorosis torporosa vel chronica, morbus plane asthenicus, pulsu celeri, frequente, sed languido facileque comprimendo. In hoc pathema cum amenorrhoea a cibi succulenti et gestationis corporis defectu originem duxit. Utplurimum haemoptysis ingruit, phthisi pulmonali

subsequente; imprimis vegetatio laborat, cum sanguinis mixtio normalis alienata sit. Viscera abdominalia et systema lymphaticum maxime afficiuntur, oriturque ascites. Hunc morbum veteres cachexiam nominarunt.

Duae istae species, chloroseos virgineae (Sauvageii;) (pâles couleurs Gall.) nomine communi comprehenduntur.

Secundi generis species hae sunt:

a. chlorosis a menorrhagia in feminis quadragesimum annum egressis a fluxu menstruo nimio vel difficillimo nata.

b. Chlorosis gravidarum primis graviditatis mensibus interdum obvia, concomitante pica.

c. Chlorosis verminosa seu infantum, facie tumida, pallida, identidem rubra, labio oris superiore tumido, palpebris lividis, appetitu irregulari, praeternaturali, praecipue farinaceorum, vel prorsus deficiente, marcore et languore, crebro salivae in os confluxu, nausea, vomitu etc. exhibita.

d. Chlorosis viridis. Aegrotarum facies grisea, caerulea est; in hydrope, melancholia, viscerum abdominalium obstructione etc. occurrens.

e. Chlorosis ab hydróthorace.

f. Chlorosis rhachialgica (Sauvageii). Sic facies pallida metallurgorum, uti et

g. Chlorosis Bengalensis et Carthagenica, incolarum regionum illarum Africae et Americae

nuncupatur. Sed omnes has species, aliorum morborum vel tantum diatheseos morbosae symptomata, ut argumentum omnibus numeris absolveretur, tetigimus. Nos enim de Chlorosi primaria sola verba facturi sumus.

§. 10.

Aetiologia.

Proximam morbi causam cohaesionis totius corporis vitium esse, quidam contendunt, quo tantus sanguinis in uteri vasa impulsus, quantus ad aperienda ea requiritur, fieri nequeat [1]).

Cullenius causam proximam cruoris sanguinis inopiae, at lymphae contra copiae sufficienti adscribit, unde partes massae sanguineae fluidiores a reliquis separentur, et, in telam cellulosam extravasatae, huius tumorem universalem inducant. Cuius rei originem a statu viscerum chylopoëticorum abnormi, quem rursus ab uteri conditione dependere affirmat, petit.

Rowleyus [2]) causam Chloroseos proximam in sanguinis vitio e retento et accumulato eo, qui uteri vasis egeri debebat, e sensibilitate minuta, et cohaesionis solidorum detrimento, oriundo, ponit.

1) Bosquillon in Cullens Anfangsgründe der practischen Arzneiwissenschaft. B. II. p. 524.

2) Practische Abhandl. über Frauenzimmerkrankheiten, übersetzt von F. Michaelis p. 11.

Porro cruorem sanguinis chlorotici, si cum lympha eum comparaveris, valde minutum, ingenium hebere animique et corporis maximam adesse socordiam, asseverat.

§. 11.

Opiniones modo prolatas non omni plane destitui posse applausu, facile apparet; sed quomodo, secudum Rowleyi sententiam, sanguinis in vasis uterinis accumulatione, reliqua ipsius massa in toto vasorum systemate, quod demum illis materiam istam suppeditat, degenerare talisque cachexia nasci possit, parum mihi eonstat. Et ponamus licet, talem anomaliam sub talibus conditionibus gigni posse, id non nisi in puellis, quarum organa genitalia iamiam ematuruerunt, ad quae sanguinis maior est nisus, ibique ubi mutationem cacochymicam subierit, nullo negotio omnem sanguinem in partem vocare valeret, acidere poterit; minime vero in iis, quarum genitalia, ut dissectiones chlorosi interceptarum docuerunt, infantilem nondum statum exuere, neque ideo actionem et vim in totum corpus gravissimam exseruere. In hoc casu morbum, de quo agimus, organisatione nimis debili et imperfecta niti, quae non ita iam munita sit, ut functionem illam promovere possit, indeque non absoluta organorum sexualium evolutione, in quibus incitamentum deest, quod excretione men-

struali sublatum, organismi integritatem tuetur, credibile est.

Si et summam symptomatum morbi in acme constituti et curationem eius perpendimus, sufficientem illius causam in laxitate et debilitate solidorum humorumque lentore et mucositate consistere, nequaquam dubitari potest. Cutis vero pallorem ejusmodi esse huius morbi signum characteristicum e principiis et chemicis et physiologicis elucet. Consideranti conformationem cutis et vasorum illam perreptantium divisionem coloris eiusdem vivacitatem oriri perspicietur.

1. Ex epidermidis eique subiecti retis Malpighiani tenuitate et pelluciditate.
2. E magno vasorum capillarium subtilissimorum per cutem depositorum numero.
3. E cruoris sanguinis copia et ruboris eius vivacitate.

E causis contrariis pallorem, praesertim ubi sanguinis vel quantitas diminuta vel qualitas alienata, vel ambobus vitiis locus est datus, oportet gigni. Prioris origo multiplex est v. g. haemorrhagiae, pathemata systema nervosum subito occupantia, terror etc. quibus sanguinis in periphericis motus, vel praepeditur, vel introrsum pellitur.

Quantitatis autem sanguinis alienatae causas expostituri, partes, e quibus compositus est, con-

stituamus oportet, ut eam, quae ruborem illi impertit et mutationes eius pathicas, decolorationem inducentes, cognoscamus.

Analysis chemica docet:

a. Sanguinem e vena missum, postquam refrixerit, in duas substantias secedere, quarum altera incrassata placentam rubram, sat solidam; altera fluida serum flavescens, priori circum datum, exhibet.

b. Si placenta in plures portiones discinditur, atque hae aqua tepida sensim sensimque abluuntur, substantia rubra privantur, quae aquae commiscetur paulloque post pulveris purpurei instar ex ea praecipitatur.

c. Serum quoque, calori expositum, in duas partes seiungi, quarum altera albuminis more inspissatur, altera liquida remanet, flavescit, sapore salem refert, eoque urinae similis evadit.

Quatuor igitur partes sanguinem constituentes discerni posse, eiusque colorem a rubra provenire, analysis haec probat [*]). Cum e sympto-

*) Secundum obeservationes microscopicas (v. g. Leuwenhoekii) substantia rubra e globulis exiguis composita est, quorum singuli quidem segregati flavi conspiciuntur, eo autem magis purpurei, quo plures coacervati sunt. Colorem suum ferro oxydato, cuius in sanguine multo maiorem, quam in aliis partibus, copiam chemia detexit, debere creduntur.

Ill. Fouraroy et Vauquelin experimentis suis opinioni

matologia morbi nostri didicissemus, sanguinem e venis chloroticarum missum pallidum, tenuem et pituitosum esse; quatuor eius principiorum, analysi chemica constitutorum, rationem, abundante lympha coagulabili, a norma discessisse, inde colligitur; unde fluidiores sanguinis partes a reliquis facilius separantur, vasaque capillaria opplent; quo facto coloris vivacitas diminuitur pallorque gignitur.

§. 12.

Symptomata similia in alio, chlorosi analogo, cum eaque in puellis saepe coniuncto, morbo qui a sanguinis mixtione cacochymica proficiscitur, scorbutum dico pallidum, inveniuntur [1]). Facie enim tumida, pallida, livida, labiis e griseo flavescentibus, palpebris coeruleis, digestione diffi-

huic magnam auctoritatem conciliarunt, cum in cruore ferrum phosphoricum, albumine et sero sanguinis facile solubile, iisque eandem fere coloris rubri vivacitatem, qualem sanguis obtinet, tribuens, invenissent Verum et absque ferro natura colorem purpureum procreari posse, ligna, radices et Succi plantarum quarundam fidem faciunt. Porro ex Physiologia docemur, cruoris copia legitima sanguini spissitudinem et pondus suum tribui, quibus maiore cum vi in vasa agere, calorem animalem promovere, novamque sanguinis praeparationem adiuvare valet.

1) Nitzch theor. prakt. Abhandl. des Scorbuts. Petersburg 1747.

cili, lassitudine, motuum fastidio, cordis palpitatione, haemorrhagiis, gingivis sanguinem emittentibus, maculis lividis, primum extremitates, post etiam totum corpus occupantibus hic morbus se prodit.

Signa scorbutica, ultimo loco enarrata, morbo huic characteristica sunt, quibus quoque a chlorosi mera distinguitur. Itaque haud alienum mihi visum est de hoc morbo, quoad curationem a chlorosi tam diverso, aliquid exponere.

§. 13.

Diversissimae causae occasionales chloroseos vel ad nutritionis aptae et sufficientis impedimenta, vel ad ea, quae genitalium irritabilitatem praemature excitant, revocandae sunt: aër enim frigidus, humidus, insalubris, quo malum hoc quibusdam in locis endemicum observatur; habitacula humida prope terram; immundities; agitatio corporis sub Jove neglecta; alimenta viscida, cruda, quae vix subigi queunt (farinaeca, legumina, adeps); refrigeratio, praesertim quando pubertas imminet; affectus animum deprimentes, moeror, curae; somnus vel nimis brevis, vel in lucem protractus, animi corporisque labores, aetatem superantes; onania, quae fluorem album malo plerumque associat; coitus praecox vel nimius; libri et colloquia obscoena; cibi acres, potus spirituosi.

Potentiae nocentes modo memoratae et aliis morbis, chlorosin vel concomitantibus vel antecedentibus, originem dant; illa tunc, ut saepenumero fit, in dispositione haereditaria posita est, causaque occasionali oblata, emergit. Inter morbos ad chlorosin disponentes Serophuliasis, Rhachitis, Atrophia, Helmintiasis, Exanthemata chronica referri possunt.

Interdum vero, nullis potentiis nocentibus perspicuis diutius vel citius praegressis, in puellis hucusque optima valitudine vigentibus chlorosis apparet. Quae tamen plerumque tenera et molli gaudent conformatione, musculis laxis, ab infantia inde facie pallida, corporis incremento mature accelerato vel etiam retardato. Tum chlorosis aut fluxum menstruum antecedit, quo contingente evanescit, aut ille sine ulla difficultate provenit, sed magis magisque copiosus et frequens fit, decolor, accedente nunc magna debilitate, tandemque chlorosi, quae, ut superius memoravimus, neglecta, morte ex hydrope absolvitur; aut catamenia legitime succedunt, sed rursus modo disparent, vel saltem parca evadunt, atque sub vehementibus capitis doloribus, sanguinis ad caput et pectus congestionibus, haemoptysi et epistaxi chlorosis paullatim prodit.

Cavendum vero est ne menstruationem anomalam chloroseos causam putemus, eique ex hac praecepta opinione medeamur; uterque enim mor-

morbus unius morbi universalis effectus exstat, quo sublato amovetur.

§. 14.

Prognosis.

Quod de prognosi morbus non per se quidem, sed diu neglectus alios morbos pariens periculum minatur. Exitus ejus pro causarum diversitate aliquatenus praesagiri potest. Chlorosis levior, causis solummodo procatarcticis nata, absque medicaminibus sua sponte evanescit, aetate progrediente, imprimis quando functio genitalium rite procedit.

Chlorosis inveterata, praecipue quam victus insalubris genuit, in icterum hydropem, febrem lentam etc. transitu, exitum letalem minatur; ideoque oedema et cutis pallor flavescens mali sunt ominis.

Periculum ingravescere creditur, si pica et malacia accedunt; aegrotae praeter morbum suum etiam ingestis crudissimis maximeque noxiis vexantur.

Feminae, quae chlorosi laboraverant, saepe per totam vitam steriles manent, vel partus praematuros, vel infantes debiles, ante diem morituros edunt.

§. 15.

Curatio.

Curatio diversis causis formisque chloroseos superius expositis adaptanda est, ni consilium medici fallatur, et efficacissima alioquin remedia vano adhibeantur. Non raro autem etiam morbo ejusque causis recte cognitis et dijudicatis, multis tamen curatio laborabit difficultatibus, ubi morbus ab aegrotae constitutione vel haereditaria, vel longo temporis intervallo acquisita, profectus est, ubi vegetatione a teneris segni, pubertas vix ac imperfecte eluctata est. Alias corporis incrementum nimis celere, vigori non respondens, exhaurit. Fines hic esse constitutos, quos medici ars transgredi non possit, cum vitium quasi adsit conformationis; imprudenterque illos medicos agere, qui chlorosin nusquam non retentionis menstruorum effectuum opinantes, emmenagogis iisque pellentibus catamenia provocare studeant, perspicuum est.

Antequam vero therapiam morbi jam efformati aggredimur, prius de prophylaxi aliqua addamus, consentaneum videtur.

Chlorosis optime cavetur, dum puellae a prima infantia cibis nutrientibus, digestu facilibus, aluntur, corpus earum exercetur, animusque bonis moribus imbuitur, quibus omnibus evolutio totius organismi bene procedit. Pubertate immi-

nente omnia, quae genitalia gravius afficiendo, functiones eorum citius, quam organismus desiderat, producere valent, summa cura avertenda sunt.

At si morbus jam invasit, haec ante omnia respicienda sunt.

a. Potentiae, quae malum tum genuerunt, tum adhuc alunt, amovendae sunt. Vitae genus et diaeta secundum praecepta therapiae generalis mutanda sunt, alias vel efficacissima remedia nihil proficiunt. Animus moerore et curis afflictus hilaritate recreetur, aëra respiret purum et salubrem, corpus motibus initio passivis postea activis exerceatur. Victus potius fiat animalis, aromatibus conditus, eupeptus; potus sit cerevisia bona, sed modice sumpta, vel ubi ad congestiones proclivitas deest, vinum; abstineatur autem a potionibus tepidis, relaxantibus (Theae). Vestitus ne nimis foveat, somnus ne justo longius protrahatur, refrigerium aeque atque aestuatio evitentur.

Ubi coitus desiderium praecox accusari potest, omnia, quae illud instigare valeant, diligentissime sunt amovenda.

b. In universum adhuc monendum est, ut praeprimis in initio, erethismi plerumque praesentis, digestionis laesae, et symptomatum maxime urgentium, cura habeatur; menstrua si fluunt, ne supprimantur; denique complicati morbi attentionem medici merentur. Quorum omnium

medela quamvis causae morbi sufficienti, quam supra solidorum laxitatem et debilitatem humorumque lentorem ac mucositatem statuimus, refragari videatur, morbi tamen curationi legitimae viam aperit.

His praemissis, primam chloroseos formam, utpote febrilem, tractabimus. Congestiones ad caput, palpitationem cordis et anxietatem pediluvia, tutius et celerius sanguinis e pedibus missio levat. Gesnerus [1]) plures casus memorat, ubi venaesectio adhibenda erat. Stollius [2]) hanc morbi formam, quam calidam vocat, sanguinis detractionibus, salibus mediis et emollientibus curari affirmat. Si aegrota robusta, plethorica est vel ante morbi invasionem alimentis succulentis nutrientibus utebatur, vitamque degebat sedentariam, eo majore jure methodum hanc sequemus. Ubi sordes a victu crudo et subactu difficili, sursum deorsumve turgescunt, emetica et purgantia porrigenda sunt. Ballarius [3]) historiam memorabilem puellae ultra quinque annos chlorosi, cuivis remedio rebelli, infestatae, refert. Cum autem curru veheretur, agitatione corporis insueta nausea ei mota est, ingentemque muci copiam eiecit. Post aliquot dies, nullis medicaminibus ingestis, morbo plane liberata perfectam sanitatem recu-

1) Beobacht. aus der Arzneikunde 1778.

2) Praelectiones in morbos chronicos T. II.

3) Opera T. IV. de virginum morbis p. 45.

peravit. Schaefer [1]) initium curationis emetico praemisso, a purgantibus sumit, quae et Fr. Hoffmannus [2]) in cachexia, ex haemorrhoidum vel mensium obstructione, praecipue aquarum carolinarum usum commendat. Nocent autem, ubi e nimiis menstruis morbus originem duxit. Summum erethismum acida mineralia, Elixir acidum Halleri, acidum sulphuricum et muriaticum aqua dilutum etc. [3]) cum aptis nervinis compescunt.

In secunda quoque chloroseos forma initium ab evacuantibus petendum est. Utplurimum aegrotae magna difficultate, at summo levamini, ingentem humoris mucosi, viscidi copiam per os; polypas mucosos sordesque viridescentes gravissime olentes, nonnunquam etiam, vermes per anum ejiciunt. Vomitus salutari corporis concussione vasorum resorbentium et excretoriorum actionem stimulans, chylificationem restaurat. In acido primarum viarum absorbentia porrigantur, vel pulvis digestivus Unzeri (Conch. Tart. Vitriol. Nitri. part. aequal.), quae digestionis vitia optime corrigunt. Nunc demum ad roborantia tonica transeundum est, quae vero acuta manu atque ita, ut assimilationem laborantem non laedant, adhibenda sunt. Prima igitur eligantur a-

1) Dissertat. de chloros. ab uterin. excretion. obstruction. Gryphswald.

2) Medicin. ration. System. Pars IV. c. 12.

3) Dömmling in Horns Archiv für medizin. Erfahr. B. III St. 1. p. 67.

mara, ut quae vel in debilitate locali stomachi perferuntur, v. g. infusum Qassiae, extracta amara in aqua aromatica soluta, uti extractum Trifolii fibrini, Cardui Benedicti, Taraxaci, Fumariae, Gentianae; praeterea Fel Tauri, Rad. Columbo. Haec sequantur amara aetherea: Millefolium, Tanacetum, Absinthium, Marubium, Polygala amara, Rad. Calami aromatici, Caryophyll. Flavedo corticum aurantiorum. Magna ventriculi debilitas et torpor aromatica indicant; acidum primarum viarum Fel Tauri; Diarrhoea symptomatica Rad. Columbo cum spiritu salis ammoniaci anisato; obstructiones alvi, amara cum resolventibus, qualia sunt sapo medicatus, Gummi ammoniacum, sulphur antimonii auratum. Haec excipiat China, quae media inter amara et ferrum, vi gaudet roborante, tonica, immo et nervina fibrarum cohaesionem auget, musculos firmat, motus systematis nervosi anomalos sistit (in morbis enim periodicis divinum est remedium), sanguinis actionem promovet, secretiones et excretiones supprimit. Cum facile dyspepsiam cieat, initio infusum frigidum, vel extractum frigide paratum, detur, dein Decoctum, tandemque pulvis chinae cum cinamomo. Si obstructam alvum reliquerit, cum Rheo coniuncta ingeratur.

Rubia Tinctorum, Lignum Campechense et Terra Catechu, alumen, salubres etiam effectus in chlorosi exhibuere.

Verum omnibus medicaminibus hucusque memoratis ferrum antecellit, quod in hoc morbo specificum existimatur. Virtutes eius hae sunt: hydrogenii abundantiam summovet, sanguini oxygenium et ruborem, potentiae vitali energiam impertit, motum sanguinis accelerat, congestiones excitat, calorem animalem adauget, sanguinemque coagulabiliorem reddit. Quae illo non gravantur, saluberrimam eius vim percipiunt ac perfecte sanantur. Sordes primarum viarum, febris et obstructiones pulmonum, haemoptysis usum eius vetant. In ultimo casu acida mineralia Ferro antecedant.

Plurima eius praeparata in chlorosi adhibentur, quae cum vi inter se differant, singula perlustrare, haud alieno loco erit:

1. Limatura martis, valde irritans ventriculum infestans, quam ob rem aromata adduntur. Dosis ℈ß bis terve per diem.
2. Aethiops martialis (ferrum oxydulatum nigrum) minus irritans, subtiliori massa ventriculo facilior; nec ructus nec flatus gignens. Dos. gr. *V—X* aliquoties per diem.
3. Flores salis ammoniaci martiales (ammonium muriaticum martialum), concoctu facillimi, maxime resolventes. Ubi muci tenacis, viscidi in abdomine suspicio adest, utilissime porri-

guntur. Dosis gr. *V—X* cum extractis amaris perdiem.

4. Ferrum Tartarisatum, irritabilitatem non tam facile, quam reliqua martialia, excitat; congestiones non efficit, alvum non obstruit, sed potius ducit.

Ideo puellis fibra rigida, sensibilitate aucta, sanguine copioso, alvo tarda utile est. *Leake* illud cum china, columbo, Rheo etc. coniunxit. Dosis gr. *V.*—℈*j* aliquoties per diem.

5. Tinctura martis pomata, tartarisata, et cydoniata, leniora item praeparata. Dosis guttas *XXX—XL* bis terve p. diem.

6. Vinum martis, concoctionis facillimae. Dosis Cochlearia *jj—jjj*.

7. Tinctura ferri muriatici, volatilior et acrior Dosis gtt. *XX. XXX* aliquot p. d.

8. Vitriolum martis (Ferrum sulphuricum) fortissimum, maxime adstringens, idcirco in profluviis sanguineis et mucosis utile. Dosis gr. *j*—V.

9. Aether martialis. Tinctura nervina Bertuscheffii et Naphta aceti martiata, maxime diffusibilia, ventriculo amicissima in hystericis affectionibus utilissima. Dos. gtt. *Vjjj. X* quater per diem.

In debellanda chlorosi pertinaci pilulae Weikardtianae (ex aloës ℥*j* Limat. martis ℈*jj* Sulphur. stib. aurant. ℈ß Calomel. ℈*j*. ol. Sabinae gtt *XX*.

Syrup. cort. aurant. q. s. u. f. P. P. gr. *jjj*) magnam famam consecutae sunt. Dos. p. *jj* vespero. Ubi Chlorosis debilissima est aquae minerales ferratae (Dryburgensium, Pyrmontanarum etc.) maxime commendantur [1]).

Sanatione absoluta, ferri usus ultra quatuordecim dies continuetur, ut recidivae prohibeantur. Excrementa, nigro colore tincta, ructus hepatici in intestinis solutionem demonstrant menstruis imminentibus, praesertim quando spasmis consociantur, ferrum aliaque remedia omittenda sunt, donec fluxus disparuerit, vel etiam lenia tunc antispasmodica suppeditentur. Ubi iam aqua in tela cellulosa et cavitatibus collecta erat, Ferrum cum diureticis adhuc profuit. Eius interne sumti efficacia balneis ferratis vel artificialibus, magis vero naturalibus, primo tepidis, sensim sensimque refrigeratis, summopere adiuvatur [2]). In obstructione alvi pervicaci clysmata tepida, quin et frigidissima maxime profecerunt [3]).

Praeter balnea externe quoque frictiones cum pannis calidis, inunctiones abdominis volatiles, aromaticae adhibeantur. Quo magis nutrio corporis laborat; quo major adest macies, vel he-

1) Marcard's Beschreibung von Pyrmont. — Brandis von dem Gebrauche der Eisenmittel. Hufeland's Journal B. XIV. P. 30.

2) Brandis. l. c. p. 40.

3) Brandis ibidem.

ctica minatur, eo maturius remediis ipsis victus eupeptus bene nutriens, jus cochlearum, ostrearum, hordeum praeparatum, gelatina animalis, Salep, in pulmonum debilitate gelatina lichenis islandici adiungantur.

Curriculum vitae auctoris

ex decreto gratiosae facultatis medicinae berolinensis adjectum.

Ego, Guilelmus Badowitz, Zülzae in Superiore Silesia, patre mercatore, quarto ab hoc et vicesimo anno natus, Vratislaviae educatus sum. Scholam ibi plures per annos frequentavi omnemque quam potui, operam litteris excolendis navavi, illaque relicta, hanc in almam musarum sedem me contuli, inque medicinae studiosorum numerum adscriptus, quinque per annos his scholis interfui: Ducibus doctissimis humanissimis, Fischero Professori physicen docenti, Professori Knapio, a consiliis rei medicae intimis Osteologiam, Splanchnologiam, Syndesmologiam artemque cadaverum secandorum affui: Professorem Rudolphium in Anatomia practica Professorem Tourtium in Chemia, Augustinum in Physiologia corporis humani secutus sum Heckerus nunc rebus humanis jam ereptus Pathologiam generalem me docuit Hufelandium Prof. et Status, Consiliarium. Therapiam, materiam medicam, artemque Clinicam tractantem audivi ut Reilium Prof. et a Consiliis rer. metall. supremis artem clinicam. Chirurgiam generalem et specialem Professore etc. Graefe audivi. Anno MDCCCXII cursum anatomicum et insequente anno examen rigorosum absolvi, quo facto primo Maii ejusdem anni ab Ill. Reilio promotus sum. In bello contra Gallos felicissime gesto Protochirurgus in nosocomiis militaribus stipendendia merui. Quo finito cursum clinicum perfeci et examine sic dicto approbationis exacto praxeos medicae in terris Prussicis exercendae veniam nactus sum.

Erratum. P. 12. l. 28. l. Quantitatis leg. Qualitatis.